lum. ¶ Ordo verſiculorum noſtrorum eſt; Proxima, i. d. prima: hoc eſt, ſecunda Æglogæ: qua. i. in qua: Corydon, paſtor ille amaſius luſtrat. i. quærit Alexim puerum illum; formoſum. i. ſpecioſum, ſpecioſum, & formæ plenum: ſuadet. i. in fine carminis, diſcedere amori. i. ab amore, ſi nequeat flecti. Dicit enim, Inuenies aliū ſi te hic faſtidit Alexis. Et hæc de argumento in generali.

ÆGLOGA . II.

QVÆ ALEXIS INSCRIBITVR.

¶ Loquitur primum POETA, deinde CORYDON.

POETA

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexim,
Delicias domini: nec quid ſperaret, habebat,
Tantùm inter denſas vmbroſa cacumina phagos.
Aſſidue veniebat, ibi hæc incondita ſolus
Montibus, & ſyluis: ſtudio iactabat inani.

SERVIVS.

Formoſum paſtor.] Vergilius in perſona Corydonis intelligitur, & Cæſar per Alexim. ¶ Ardebat.] Impatiēter diligebat. ¶ Alexim.] Seruꝰ fuit Aſinij Pollionis, quem in prandio miniſtrantem, quum miræ vidiſſet pulchritudinis, amore eius eſt captus: & dono à domino accepit. Alij, puerum Cæſaris fuiſſe dicunt, formoſum in operib. & gloria: quem ſi quis laudaſſet, rem gratam Cæſa. faciebat. Nam Vergi. in pueros dicitur habuiſſe amorē: nec eum turpiter diligebat: nuncupauit Cory. ficto nomine, aut à corydali aue, quia dulce canit. Alexim, quaſi ſine reſponſione. Alij à Vergi. illum laudatum, vt gratificaretur Pol. qui illū amabat. tenebat autem eo tempore Tranſpadanā Galliam, Pollio: & agris diuidundis præerat. ¶ Quid ſperaret] De eo potiūdo. ¶ Tātùm.] Tantūmodo. ¶ Aſſidue.] Sæpius. ¶ Incondita.] Incompoſita agreſtia: vel inſanæ mentis verba: vel incōſcripta: Sall. At illi quibus res incognita erat rue- re, cuncti ad portas, incōdita tenere. ¶ Iactabat.] Incaſſum fūdebat. ¶ Inani.] Præ amore nihil ſibi procurans: ſed in

Siglo XV.—Biblioteca, Toledo